ROMANORUM LACHRYMAE
SUBITANEIS MORTIBUS EFFUSAE EXSICCANTUR

AB EMMANUELE DE SYLVA-PEREYRA,

Philoſopho, ac Medico Portugallenſi:

Olim in florentiſſima, apud Luſitanos Eborenſi Academia totius Philoſophiæ Examinatore,

Nunc in hac Alma Urbe MEDICO.

ROMÆ, M. DCCVI.

Typis Dominici Antonii Herculis in via Parionis.

SUPERIORUM PERMISSU.

Imprimatur, si videbitur Reverendiss. P. Mag. Sac. Palat. Apost.

Dominicus de Zaulis Episcop. Verulanus Vicesg.

Jussu Reverendiss. P. M. S. P. Apost. perlegi, quæ diligenter scripsit D. D. Emmanuel de Sylva Pereyra *De subitis mortibus Romæ observatis*, eaque Authoris studium testantur, & laudem merentur omnem.

Gaspar Realis Archiater Colleg. & S. P. Apost. Medicus.

Imprimatur,

Fr. Paulinus Bernardinius Ordin. Prędic. Sac. Apostol. Palat. Mag.

VIRUM prudentem id secum reputare oportet; quod res pretiosissima est sanitas, ait *Hip. lib. de salubri diæta in fine*, & colligitur *ex lib.3. de diæta* 12. ibi; *Citrà sanitatem neque divitiarum, neque corporis, neque ullius alterius rei ulla utilitas est*; *Gal. lib.* 1. *de differentiis morbor. cap.* 2. sic illam definit; *Sanitas est omnium corporis partium naturalis constitutio*; undè infertur omne illud, quod prædictæ constitutioni adversatur hominem reddere morbosum; frequentèr ad hunc finem concurrunt causæ inevitabiles communitèr ab Authoribus dictæ (non naturales) quæ medium per participationem extremorum sibi vindicant, inter res naturales, & prætèr naturales, de qui-

quibus dicemus infrà, cum de conservatione sanitatis incidet sermo.

Audiamus nùnc *Hip. lib. de Natura humana* sìc loquentem: *Morbi alii à victus genere, alii à spiritu, quem trahentes vivimus proveniùnt*. Undè secundùm hanc authoritatem optimè dividuntur morbi in Endemicos, sivè patrios: Communes, & Epidemicos. Endemici dicuntur illi, qui sunt alicujus Regionis proprii, & omnes indifferentèr invadunt, ut Plica Polonica, & apud nostros Lusitanos in toto Brasiliensi tractu morbus dictus *Bicho*, qui si negligentèr in principio tractetur, irremediabilis evadit, de quo scripsit *Zacut. Lusitan. lib.* 3. *de Prax. Medic. admir. observ.* 98. Communes cum varii homines variis morbis ægrotant, de quibus videtur loqui *Hip.* 3. Aphor. 19. *Morbi omnes quidèm in omnibus temporibus fiunt, quidam verò magis in quibusdam ipsorum, & fiunt, & excitantur*. Epidemici sunt, qui certis, & determinatis temporibus per aliquam Civitatem, vel Regionem vagan-

gantur, & quamplurimi eodem morbo capiuntur, de quibus diffusè, doctè, & magistralitèr egit *Hip. per* 7. *libros*, quibus nomen imposuit *de Morbis vulgar.*

Cùm igitùr mihi in animo sit naturam Epidemici morbi ad unguem exponere operæ pretium duxi inquirere à quanam causa talis morbus producatur? Epidemici morbi ratio in eo stat, quod omnes cujusque sexus, & conditionis homines indifferentèr invadat juxtà *Hip. lib. de nat. hum.*, & Gal. *lib.* 1. *de morb. vulgar. com.* 1. Undè infero necessariò causam universalem illius effectricem debere recognoscere; cùm tamèn ad productionem cujusque morbi tres concurrant causæ; una in jis, quæ offeruntur, altera in operibus, quæ obimus, & tertia in his, quæ occurrunt Nobis. Videndum, àn quælibet ex istis causis morbum epidemicum producere possit? Et ratio dubitandi in eo stat, quia omnes prædictæ causæ valent corpus humanum alterare, talitèr ut non solùm in statum morbificum reducere; sed etiàm inopinatò perdere possint. Mi-

Mihi videtur ſolùm ab aere morbum epidemicum ſuam geneſim agnoſcere, & nullum morbum verè poſſe dici epidemicum quin ab aere talitèr, vel talitèr alterato procedat. Ratio hujus aſſerti tota in epidemici morbi natura poſita eſt: illa in eo ſtat, quod nullus homo poſſit ab illo reddi immunis: igitur requirit cauſam univerſalem, à qua nullus poſſit eximi, talis eſt aer, ſine quo vivere non poſſumus juxtà illud *Gal.* 4. *de loc. affect.* 7. *&* 6. *de loc.* 5. *Viventem non reſpirare, & reſpirantem non vivere eſt impoſſibile*: ergò neceſſariò fatendum erit ſuam originem epidemicum morbum ducere ab aere; neque videtur obſtare illud, quod in medium afferri poteſt de cibo, & potu, nàm licèt multotiès provenire poſſit contagium ex cibis corruptis paritèr, & potu, ut ſcribit *Gal. lib. de cibis boni, & mali ſucci cap.* 1. de quadam maligna conſtitutione, quæ per plures partes Romano Imperio ſubjectas ſæviit, & habitantes crudelitèr afflixit, tamèn rationem epidemici morbi

morbi subire non potuit, priusquàm omnibus fieret communis, & à nullo evitari possit, hoc nequit obtineri antequàm äeri imprimatur contagium; ergò fateri debemus; meliùs percipi epidemici morbi natura in eo, quod mediante aere nos de læteria qualitate, qua pollet, necessario, & indicibili modo immutet. Hoc ità stabilito.

TEMPUS est, ut Principi Provinciarum sub inevitabili mortis tributo plangenti aures præbeamus: plorat die, ac nocte nostra dilectissima ROMA subitaneis mortibus consternata, & lachrymæ ejus in maxillis ejus. Ego commiseratione motus meis locubrationibus aliquod levamen illi offerre desiderans, libentèr meam de hac gravissima difficultate proferam sententiam, priùs tamèn commemorando symptomata, quibus tenebantur, qui vitam cum morte subitò commutarunt.

Omnes, quibus inopinatè apprehendit mors, antecedentèr conquærebantur de difficultate respirationis, cordis anxietate,

 oppres-

oppressione, & angustia, vertigine tenebricosa; tandèm obmutescebant, & peribant, & ut mihi narravit sapientissimus D. D. Alexander Pascoli in Sapientiæ Lyceo Anathomicæ Cathedræ Professor eximius se in aliquibus cadaveribus ruptiones venarum pectoris, in aliis cerebri offendisse.

Tota difficultas stat in assignanda causa externa, à qua talis epidemia ortum trahat; nàm ut ex supradictis colligitur, sic potest verè denominari: quod ab aere suam originem ducat, supra sufficientèr manet probatum, cum naturam morbi epidemici declaravimus; solùm restat resolvendum, undè aeri prædicta infectio fuerit communicata.

Mihi videtur (salvo meliori judicio) illi provenire illam infectionem ab exhalationibus è terræ visceribus terræmotibus violentèr projectis: hoc authoritate, & ratione evidente potest demonstrari. Narrat *Livius anno* 318. ab Urbe condita pestem Populum

pulum Romanum invasisse terræ motibus crebris. Pestem sequi certum est referente *Rodomonte Laurentio de Vitæ humanæ catastrophe ex pestilentia cap.* 7. *Rejes Lusitanus in illo libro*, cui titulus est *Campus Elysius quæst.* 45. *num.* 26. sic fatur; *Terræmotus ingentes pestem non raro antecedunt, & annunciant, ut notarunt Ammianus, & Procopius*, quorum non pauca exempla refert *Majolus lib. de admirandis naturæ colloq.* 1. 10. 11. *Nam cum terræmotus fiant ab exalatione intra terram detenta, quæ exitum quærendo terram impellit, ac concutit, indè tremor contingit, ut docuit Seneca lib.* 6. *natur. quæst. cap.* 12. & latiùs explicat *Augustinus Galesius celeberrimus Bononiensis Philosophus lib. de Terræmotu*. Terræmotus magni Bellum, aut Pestem nunciant *ex Cardano tom.* 3. *lib.* 15.

Ratione sic ostenditur: rebus naturalitèr succedentibus in AEstate ab exhalationibus è terra actione Solis elevatis, frequentèr eveniunt maligni, & perniciosi morbi, ex

quibus quamplurimi vitam amittunt, de quo Ego testis oculatus sum; nàm in nostro Regno Lusitaniæ per totam Provinciam dictam *Transtaganam*, maximè in Præclarissima, Florentissima, & Populatissima Civitate Eborensi (ex qua originem duco, & ubi per octodecim annos medicam facultatem exercui,) ut plurimùm in fine AEstatis, & per totum Autumnum febres perniciosæ cum decubitu humoris ad partem principem; & ex depravata humoris natura (de quibus palmam præripuit *Ludovicus Mercatus Vallisoletanæ Accademiæ decus, & singulare ornamentum*, quem sequutus fuit præacutissimus *Petrus Michael de Heredia Complutensis Accademiæ Primarius Professor emeritissimus*) ità sæviunt, & furiunt, ut major pars illorum, quibus præhendunt è vita discedat.

Quid moror indagando exterarum Provinciarum morbos; nonne intrà proprios lares habemus inimicum adeò crudelem, & dolosum, ut brevissimè interitum minetur

(vulga-

(vulgaritèr febris ex aeris mutatione,) quæ ortum ducit ab exhalationibus vitriolicis, arsenicalibus, & nitrosis à Sole æstivo elevatis à mineralium fodinis, quibus totus ager Romanus est refertus; si ergò natura quandò statutum servat cursum ità exetialitèr operatur, quid sperandum quandò suum pervertit ordinem. Nonnè fiunt terræmotus, ut melior Philosophorum fert opinio apud *P. Soarium Lusitanum* in suo Cursu Philosophico *tract. de Metheoris disp.* 3. *sect.* 3. ab exhalationibus terræ inclusis, & accensis, quæ rarefactæ exitum quærunt, & impetuosè qua data porta ruunt? Et ut probabilior tenet sententia apud ipsos Philosophos cum eodem *P. Soario Lusitano* tract. proximè citato §. 1. Exhalationes non sunt naturæ distinctæ à corporibus, à quibus elevantur, sed sunt eorum partes tenuissimæ, & spirituosæ; ergò si tales exhalationes, quia extraordinario ordine fermentantur, ità impetuosè prosiliunt, quid mirum si à carceribus liberatæ delecteria, & venenosa

nosa qualitate, qua pollent, nos afficiant?

Contra hanc doctrinam hoc modo stabilitam poterit aliquis sic insurgere: Si hoc esset verum, sequerentur isti exitiales effectus immediatè post terræmotus, & non tanto tempore transacto; nàm si exhalationes naturam adeò delectercam erant sortitæ subitò tales effectus poterant imprimere, *quia idem in quantum idem, semper est aptum facere idem*, hoc nullus illicò expertus fuit; igitur suprapolita ratio non convincit dùm contrarium affirmat.

Respondeo hoc argumentum nullam habere vim, & nullo modo persistere; nàm si principiis Philosophicis, & Medicis standum est agentia naturalia minimè posse operari, quìn illorum virtus reducatur de potentia ad actum, & in passo detur illa ultima dispositio compatibilis cum tali forma, hoc clarè visitur in fermento variolarum, quod per multos annos latitat in corpore, usquequo ab aliquo agente efficaci fermentari possit, ut cernere est in multis,

tis, qui in provecta ætate variolis capiuntur; cùm tamèn ab utero matris habeant illud fermentum in se reclusum; & in virulentia gallica tanto tempore in seminario occultata; ut nullos illicò ex se promat effectus.

Nonnè poterit dari venenum ad tempus, tàm à natura progenitum, quàm ab arte constructum, ut doctissimè tenet Romanorum decus scientissimus *Paulus Zacchias tom. 1. quæst. Medico legal. libr. 2. tit. 2. quæst. 3.* Venenum canis rabidi per multos annos occultatur in corpore, ut habemus apud *Schench. lib. 7. observat. Medicinal. de venenis ex animalibus. Petrus Salius de Affectibus particularibus pag. 360. & 361.* sic scribit; *Actio ista* (loquitur de venenis in corpore reclusis) *aliàs citò, aliàs tardè perficitur: hujus diversitatis ratio ex duobus dependet, videlicèt, vel ex violentia, seù imbecillitate agentis, vel à fortitudine, seù debilitate patientis. Non enim fiunt Morbi populares quales illa dies petit;*

sed

sed quales ea corporis dispositio, quam antegressa tempestas reliquit, ut perbellè advertit *Vales. lib. 2. epid. sect. 3. 2.* primò *à Gal.* notatum 3. *epid. com.* 3. 75. *Morbi repentini non à repentina causa quàmvis subitò appareant*, ac per consequens concludendum est argumentum minimè concludere.

Restat nunc examinandum quam dispositionem talia fermenta in corpore producant adeò efficacem, ut brevi temporis spatio homines perdat? Respondeo sua deleteria qualitate vitriolica, & arsenicali sanguinem ad stagnationem disponere, & media coagulatione circulationem deperdi, & consequentèr vita. Audiamus *Hip. 4. de rat. vict.* 23. Quod autèm quis repentè obmutescat id venarum interceptiones, occlusionesque faciunt, si sanò absque occasione, vel forti aliqua causa id contigerit; nil clariùs dici potest; amittitur loquela: ergò ob defectu influxus à corde: negatur influxus, quia circulatio sanguinis remoratur:

ratur : remoratur proptèr impedimentum in venis, & arteriis, & hoc aliud non eſt niſi ſanguinis ſtagnatio: ergò de primo ad ultimum fateri debemus ob ſtagnationem ſanguinis vitam amitti.

Ut tamèn clariùs authoritas Hip. intelligatur, debemus quærere quid ſibi velit Hip. in ultimis verbis, *Si ſano abſque occaſione, vel forti aliqua cauſa id contigerit*; Nàm ſufficientèr loquelæ amiſſio explicatur per impedimentum in vaſis repertum: igitur aliæ videntur ſuperfluæ? Reſpondeo Hippocratem, ne occaſionem errandi multis præberet ex conſultò illas in medium afferre; Nàm multotiès contingit aliquem voce privari quin in venis, & arteriis detur aliqua ſanguinis ſtagnatio, ut cernere eſt in aliquibus, qui ſunt morti proximi, aut qui propter aliquam ſanguinis evacuationem linquuntur animo, vel in ſyncopem cadunt, in talibus loquela amittitur, quia ſpiritus vitales deficiunt, ideò non communicantur non propter medii impedimen-

 tum,

tum; Sed quia principalis motor extinguitur, & cùm in praxi indicationes sint toto cœlo diversæ jure merito ab Hip. prudentissimo Medico omnes illæ particulæ afferuntur. Fit sanguinis stagnatio in venis propter immoderatam copiam, ut cernitur in dispositionibus plectoricis, ubi quia sanguis in quantitate excedit ruptio vasorum timetur, ideò ut nimis periculosam solvendam illicò esse omnibus persuadet *Hip. authoritas 1. Aphor. 3.* Nimia crassities, & lentor sunt in causa, ut circulatio sanguinis remoretur propter obstinatam resistentiam cordis impulsui renitentem. *Petrus Salius lib. de curandis morbis ab ordinariis practicis neglectis cap. 4. à venarum interceptione, & occlusione affectio deterrima, & quæ subitam mortem sæpè inferre solita sit emanare affirmat.*

Sed quia sanguinis circulatio cum loquelæ amissione remorari potest, vel in cerebro, vel in corde, necesse est, ut signa distinctiva afferantur, & explicentur: si sanguis

guis in corde remoretur syncopem (quam vocant cardiacam) efficit, cujus hæc sunt signa antecedentia ; patientes antè illius adventum persentiunt nonnunquàm præfocationem quandam non ad fauces, nec ad partes spirituales superiores, sed in partibus internis, ac si manu cor ipsum subitò constringatur, deficiuntque animo, ac mutato colore vivido in palidum sudant, citò autèm revocantur ab hoc defectu, sed subsequitur lassitudo magna: alterum est, quod in his pulsus quandoque accedit intermittens, qui si supra unicam intermittat pulsationem, magnum periculum minatur, significatque syncopem hanc instare, quæ intermissio sicuti & illa præfocatio, non aliundè generatur, quàm ex illa sanguinis coalescentis copia, obstruentisque, ac gravantis vasa illa.

Si stagnatio fiat in cerebro, conquæruntur de capitis gravitate, & dolore, tinnitu aurium, vertigine, & quandò voce privantur habent respirationem difficilem,

 &

& multotiès cum ſtertore, color faciei non illicò apparet cadaveroſus, ſed multotiès rubicundus permanet.

Tempus jàm inſtat, ut tanto malo auxilium feramus, quod cum tàm in præſervatione, quàm in curatione conſiſtat, priùs de præcautione, ultimò de curatione verba faciemus.

Præcautio in ſex rerum nonnaturalium recta adminiſtratione collocari debet, quas breviter percurremus. Sunt hæc aer: cibus, & potus: motus, & quies: ſomnus, & vigilia: excreta, & retenta: animi paſſiones.

Aer primum locum ſibi vindicat; nàm magna eſt ejus potentia, & vis in alterando corpore, quia continuo agit, & minimè refractus rapitur in viſcera, inſpiratione, & tranſpiratione immutat corpus noſtrum, ex illo ſpiritus ad vivificationem corporis procreantur, hic omni induſtria corrigi debet; & nullo opportuniori modo, quàm ut conſulit *Galen. lib. de Theriaca ad Piſonem*

cap.

cap. 16. ex Hip. ſententia, qui peſtem illam ex AEthyopia ad Græcos venientem non alio præſidio deſtruxit, quàm aerem purum faciendo accenſis ignibus ex benè olentibus lignis, & floribus, ut sìc Cives puriſſimum aerem, & ab omni infectione liberum reciperent. Quod noſtri Romani exequi debent aerem in domibus purificando, & ſe munire optimis antidotis, ut theriaca, lapide bezoar, & aliis, quibus multi ad ſatietatem utuntur; in quorum exhibitione certus modus debet intervenire, nè in venenum abeat, quod ut antidotum deſiderabatur; nàm cum alexipharmaca ſint ſemivenena, eapropter ſi largiùs ſumpta fuerint, graviter animantis corpus oblædunt, ut habemus ex *Gal. lib. 5. ſimpl. cap. 18. & de Theriaca ad Piſonem 17. ſe vidiſſe puerum minima theriacæ quantitate extinctum teſtatur. Petrus Michaël de Heredia in com. de morb. Popul. in Hiſtoria Calvi ſcribit obſervaſſe Excellentiſſimam Comitiſſam de Saldaña (ſuperata febre maligniſſima, quadeti-*

detinebatur, in unctionibus solitis olei Mathioli administratis) ex illis tanta anxietate, & perturbatione teneri, ac si venenum mortale perpotasset. Undè deductum fuit, quia malignitas erat extincta, naturam contra antidotum insurgere, ac si esset venenum.

In cibo, & potu plurimùm peccant homines: plures occidit gula, quàm gladius. Vivunt aliqui velut pecora, quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit: non considerantes, quod ex *Avicen. fen.* 1. 3. *tract.* 4. *cap.* 11. *nihil est magis inimicum rationi, quàm repletio ex cibis, & humiditatibus. Largius potantes, & comedentes in omnibus Regionibus corporis varia excrementa accumulant, & fraudulentos morbos ut plurimùm creant dicit Heredia in Historia Cherionis*, & per alias multa exempla attestantia hanc veritatem occurrunt; *& dolendum plus quod ventri, & veneri obsecundantes raro non pereunt subitò, aut mente privati, & deliri ex*

eodem

eodem in Hist. Pythionis. Nàm cùm tanta copia alimenti non possit vinci à ventriculo utpotè objectum improportionatum, necesse est ut multa progignantur excrementa, quæ per universum corpus debent distribui, *& cum peccatum primæ coctionis sit generale pro reliquis, & velut originale contractum prò omnibus*, scribente eodem in Historia Appollonii, quis dubitare poterit, quod similia infortunia patiantur talitèr viventes.

Quid dicemus de potu (de vino loquimur,) si est moderatum maximas vires corpori præbet, citissimè nutrit, vertitur in sanguinem; & carnosas partes promptissimè alit ex *Gal. 3. acut. com. penultimo*: De immodico audiamus Mortalium scientissimum *Proverb. cap. 20. 1. Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: quicumque his delectatur non erit sapiens, & cap. 33. 32. Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blandè, sed in novis-*

simo

ſimo morebit ut coluber , & ſicut regulus venena diffundet. Gal. lib. quod animi mores corporis temperaturam ſequuntur propè finem, ſic de illo loquitur; *Quippè vinum authumat corpus totum , caputque; præſertìm calidis implens vaporibus , motus immoderatioris parti animæ concupiſcibili, atque iraſcibili authorem eſſe, & conſilia præcipitat rationalis animæ , & com. 3. in 3. de morb. vulgar. Multa quidèm pocula nervis nocent , & origini eorum.*

Exercitium ad tuendam ſanitatem eſt tàm utile, ut ſine ipſo minimè conſervari quæat : exercitio corpus totum ventilatur, homo robuſtior fit, excrementis expulſis , ideò dicebat *Hip. lib. de diæta*: *Homo comedens ſi non exerceatur ſanus eſſe non poteſt*; vitalis caloris mors eſt quieſcere, & ut tenet Poeta

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus
Ut capiant vitium ni moveantur aquæ.

Hip.

Hip. exercitii utilitatem considerans 6. *epid. sect.* 5. *text.* 10. in hæc verba prorumpit; *Labor articulis, & carnibus cibus, somnus visceribus, animæ deambulatio cogitatio hominibus*; hoc est dùm homo cogitat anima movetur, nàm exercitatur in potentiis, quod suum vivere est; & cùm homo ad intelligendum, & agendum à supremo Artifice creatus sit, non debet uti somno, ac si non viveret; nàm inter somnum, & mortem maxima intercedit similitudo juxtà illud Poetæ.

Stulte, quid est somnus gelidæ nisi mortis imago.

Quivis attendere debet somnum solum ad animantium quietem, & salutem esse institutum, ut docent Philosophi; igitur non se debet tradere somno, tanquàm illius vita.

Quanta mala afferant excreta, & retenta quando suum naturalem ordinem amittunt, omnes sciunt, & multi miserrimè conqueruntur. Magna consideratio ista in

conservanda sanitate, omni diligentia obedientia corporis debet procurari, quia incommoda multa secum afferunt, ut ex *Hip.* colligitur 4.*epid.tex.*57. *& ex Vales.in com.*

De animi affectibus, ut tristitia, & timor dicant illi, qui suam tyrannidem experiuntur, aut ut meliùs audiant Salomonem sic loquentem *Ecclesi. cap.* 38. 21. *&* 19. *Nè dederis in tristitia cor tuum, sed repelle eam à te. A tristitia enim festinat mors, & lib. Proverb. cap.* 25. 20. *Sicùt tinea vestimento, & vermis ligno, ità tristitia Viri nocet cordi.* Tristia omnes naturæ actiones impedit, sicùt gaudium perficit, & auget, *ut lib.* 10. *Ethic. cap.* 2. docet *Arist.*, quia retracto calore ad interiores partes facultates languent, & ad actiones edendas insurgere non possunt. Tristitia inter omnes animi passiones plus vitæ affert incommodi, ideò summoperè debemus illam proiicere, consilio Poetæ utentes

Atra melancholico regnat si in corpore bilis

Læta

Læta ede, læta bibe, læta age; læta vide.

Ex his benè deducitur quantum ad conservandam sanitatem, & præcavendam hanc morbosam dispositionem valeat rerum non naturalium commodus usus, & cum Regimine Salernitano affirmare audeo.

Hæc benè si serves; tu longo tempore vives.

De remediorum administratione tempus est, ut sermonem habeamus: opportunum remedium, conveniens, & valdè utile in hac constitutione mihi videtur sanguinis missio, quod authoritate, ratione, & experientia demonstrare intendo. *Hip.* supracitatus 4. *de rat. vict. text.* 23. postquam ad unguem exposuit obmutescentiæ causas concludit; *Venam igitur brachii secare oportet*, & 2. *epid. sect.* 5. *text.* 14. *Qui repentè voce privantur, si sine febre sint, sanguinem mittere jubet*: *propria experientia edoctus ex* 7. *epid. text.* 83. ibi *Androthali aphonia, ignorantia, & cætera. Venæ sectio solvebat hæc.*

Probatur ratione illo remedio debemus occurrere naturæ afflictæ quò citiùs. tutiùs, & celeriùs illam possimus ab imminente periculo liberare, sed nullo meliùs sanguinis missione: ergò illa utpotè conveniens administrari debet; minor, in qua est difficultas sìc ostenditur; sanguinis missione promptè ex Galen. multitudinem evacuamus, revellimus, nè concitatiori motu sanguis ad partem affectam concurrat, & ægri citiùs à morbis, in quibus convenit, liberantur: ergò absque cunctatione debet exequi: Hoc prætèr authoritates *Hip.* probatur ulteriùs ab experientia *Petri Salii suprà citati*, & *Zacut. lib. 1. de Praxi medic. adm. obs.* 145. qui mulierem syncope cardiaca oppressam copiosissima sanguinis missione ab eminenti periculo liberavit.

Totam hanc doctrinam licet ulteriùs corroborare propria experientia. Anno 1695. dùm Medicam facultatem exercerem in Civitate Eborensi, mense Octobri, mihi fortè per plateam vulgò (do Sabugeyro)

propè

propè Monasterium Divæ Claræ ambulanti, mulier quædam facta est obvia, rogavitque obnixè, ut ad virum suum ægrotum in visendum accedam, quod libentèr feci. Inveni senem subitò voce privatum, oppressum, & inquietum; mihi persuadens hunc morbum Aphoniam esse ex magna sanguinis quantitate replente, & distendente vasa; quod ex faciei rubore cum pulsu pleno depræhendebatur, ausus fui asserere sanguinis missionem opportunum esse remedium, affines (repugnante altero Medico) meæ opinioni assentiuntur, facta fuit sanguinis missio ex brachio, altera die repetita, tertio die in carpo manûs, quibus factis, pristinam recuperauit loquelam, & convaluit.

Nolo tamen hìc præterire casum commiseratione dignum, quod mihi, & aliis Lusitanis in hac Curia hodiè degentibus videre licuit. Anno 1703. cùm ab Vlyssipone totius Monarchiæ Lusitanæ Principe in Italiam vela darem ventis in Navi Virgini à

Laureto dicatæ sub vexillo Joannis Sanguinetto Nobilis Genuensis; Socius in Navi occurrit quidam Religiosus Cappuccinus Genuensis vir probitate, & Sanctimonia clarus temperamento sanguineo, & optima corporis dispositione præditus, qui quadam die ad me venit dicens se capitis nimio dolore distendente, & gravante oppressum teneri; cui altera die accessit febris cum totius faciei ingenti rubedine, corporis lassitudine, & tentione: Illi proposui sanguinis missionem esse opportunissimum auxilium; omnes illius Conterranei illicò irrident remedium, & illum tradunt curandum Navis Chirurgo homini empirico, & temerario, qui suo modo illum tractauit: Ecce secunda curationis die quandò omnes.

Vela dabant leti, & spumas salis ære ruebant.

Rumor, & ulullatus ingens factus est in Navi ex templò me vocant ad videndum Religiosum: Cucurri, & inveni illum ultimum flatum exhalantem, non sine omnium

nium nimio dolore , & turbatione. Certè ista improvisa mors à sanguinis nimia quantitate stagnante, & suffocante originem duxisse mihi persuasi, propter denegatam illius evacuationem.

Coronam imponamus huic discursui observatione facta à D. D. Jacobo Sinibaldi in suo eruditissimo manuscripto circà præsentem epidemiam; affirmat doctissimus Professor se simul cum mortibus repentinis frequentes hæmorrhagias narium, pectoris, & hæmorrhoidum animadvertisse, & cum tali evacuatione multi ab imminenti periculo circunstanti , & aliquibus præludiis jam minante liberari: undè in favorem prædictæ difficultatis sic conficio argumentum.

Natura autèm (ut ex Hip. habemus lib. de Arte 22.) stimulata , & impulsa artis peritis , quæ facienda sunt demonstrat; at qui rectè demonstrat quandò à morbo vindicatur: igitur Medicus ut illius minister debet illam imitari, ubi sic operatur. Major ostenditur per quamplurimas histo-

historias epidem. ab ipso *Hip.* magistralitèr expositas, & præcipuè *ex primo Epid sect.* 3. *in hist. Metonis*, ubi cernitur Meton à morbo liberatus hæmorrhagia narium à natura tentata, & ut doctè tenet *Heredia in com. Quia natura deonerata non erat per artem sollicita, & docta tàm assiduis evacuationibus, quod ars erat operatura supplevit*. Minor ex ipso *Hip.* probatur ex illo: *Morbum, & causam morbi ostendit sanatio*; consequentia evidentèr sequitur; *nàm quæ ducere oportet quo maximè natura vergit per loca conferentia eo ducere*; sed locus conferens est ille, per quem natura se liberat: ergò ubi primum aliqua vestigia morbi se ostentant, sanguinis missio debet exerceri, non contemnendo consilium *Herediæ in curatione uxoris Dromedei sìc loquentis: In principio enìm acutarum passionum ità time præludia, velut si quæ pollicentur confirmata jàm essent, quia brevitèr, & inopinatè in acutis pollicita invadunt.*

Si

Si facta phelebotomia æger aliquantò revivifcat poterit fieri alia sanguinis evacuatio; nec est, quod Medicus sit adeò meticulosus in executione talis remedii; nam *quæ administrata juvant, repetita sanant*: isti inopinati eventus requirunt Medicum confidentis animi, & valdè exercitatum, qui quamvis videat ægrum malè se habentem, & pulsum offendat debilem, & suppresum, sciat distinguere debilitatem per essentiam à debilitate per aggravationem, in quo multi allucinantur, non sine ægrorum gravi discrimine, ut multotiès in praxi observavi. *Sciant Medici* (*docet doctissimus Antonius Ponze de Sancta Cruz Vallisoletanæ Accademiæ. Sydus fulgentissimum in suo aureo libello de impedim. magnor. auxilior. cap.* 1.) *quando sit evacuandum, & quomodò; quamvis reliqua ignorent, hoc illis, & ægrotis sufficit*.

Ego, quod vidi, & expertus fui in hac Urbe hoc anno in via Fratina referre non gravabor. Laborabat quædam anus (cujus-

dam

dam Sartoris uxor) debilis; & ex carnis acuta febre cum dolore punctorio, difficili respiratione, tussi, pulsu duro, & oppræsso; me vocant, invenio illam febre prericulosissima detentam, intelligens remedium adæquatum esse solam sanguinis missionem: & quamvìs pulsus appareret debilis, mihi persuasi talem debilitatem esse per aggravationem; nam ut ex *Gal habemus* 10. *meth. cap.* 2. *in fine*. *Raró accidit ut primo, secundovè morbi die vires imbecilles cernantur*. Sanguinis missionem ordinavi, altero die repitita fuit altera, & paucis diebus ad pristinam rediit sanitatem (stupentibus omnibus,) & adhùc vivit, & valet.

Si aliquis occurrat æger, de cujus robore Medicus non sit certus, in tali casu possunt applicari cucurbitulæ scarificatæ, quæ sunt vicariæ sauguinis missionis. De medicamento purgante non loquor: quia in casu pręsenti mihi videtur non esse multi usus; *& in acutis, ut dicit Heredia rem in controversia positam fugere est potius*: solùm restat

stat

ſtat quidam ſcrupulus eximendus, circa medicementa ſtagnationem diſſolventia, circulationem provocantia, & ſudorifica, hæc in principio antè evacuationem adminiſtrata, non probo; nam rarefaciendo ſanguinem, diſtendunt partes, & augent periculum: & hæc prò præſenti difficultate dicta ſufficiant, nunc claudamus rivos, ſatis jam prata biberunt.